

S. VIII. 33.

Nuptiarum solemnitati  
*Magnifici & Consultissimi Viri,*

**DN. ELIÆ**

**PAULI, J. U. Doct. e-**  
minentissimi, Regiæ Majest. Sueciæ  
Consiliarij Spectatissimi, Ordinisq; Equestris per  
Pomeraniam Orientalem, nec non Reip. Stetinensis  
Syndici meritissimi,

*Cum*

*Nobilissimâ & Primariâ Matronâ,*

**DNA: BARBARA Büstehofen/**

*Viri quond. Ampliss. & Prudentissimi*

**DN. MARCI SIEDTMANNI,**

ejusdem Reip. Senatoris gravissimi  
p. m. relictâ viduâ,

*secundùm Sponsi,*

Fausta precantur animitus

Amici.

STETINI, Excudebantur Typis GEORGII  
GOETSCHII, Anno 1626.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

Library of Theological Studies

DN. ELLI

PAULI

Epistolae ad Romanos, I Corinthis, II Corinthis, Galatas, Ephesios, Colossios, I Thimotheum, II Thimotheum, Titum, Hebraeos.

DNA BARBARA

D. MARCI

Evangelium secundum Marcum.

Evangelium secundum Mattheum.

Evangelium secundum Lucam.

Evangelium secundum Iohannem.

Actus Apostolorum.

Epistolae Petri, Iohannis, Iudae.

Apocalypsis.



**M**lli tecum tristem quondam, Vir Clare, do-  
lebam  
Sortem, nunc rebus gaudeo jure bonis.  
Nimirum tibi tum solantia metra dicabam:  
Nunc arveo tædis vota sacrare novis.

Et mea qui tibi non sistat se Musa paratam,  
Affectum varians re variante pium?  
Hæc, mihi dum notus fueras, te semper amavit,  
Hæc magni faciens te venerata fuit.  
Et dignus qui non cultu reputere camænis,  
Ut, quod habent, decori serviat omne tuo?  
Doctus es & comis; favor es Regumq; Ducumq;  
Urbs te præsidium Nobilitasq; vocat.  
Scribere quàm cuperem, quantum virtute mereris,  
Et quantum præsens scribere suadet honor.  
Sed vetor. Ecce trabor retraborq; laboribus. Ergo  
Carmine parcus ego, pectore largus ero.  
Uno cuncta precor, P'AR Nobile, prospera verbò.  
Pluribus (abrumpo) cui vacat, ista feret.

Observantiæ & congratulationis  
causâ F.

M. HEINRICUS KIELMANNUS  
Ducal. pædagogij ConR.

A 2

Messis

**M**essis adest: largos sparsô de semine fru-  
ctus  
Agricolæ læti pectore dextra legit.  
Vir multum celebris; vir magne in pectore Re-  
gis  
Suecici, & in Procerum; vir venerande mihi;  
Et tua messis adest: lacrimarum ex semine fru-  
ctum

Jam legis eximium pectore lætus ovans.  
Quippè Thori replet vestri gravis horrea Merges,  
Quæ triturando mors vacuârat atrox.  
Hæcce gravis Merges longos durabit in usus,  
Tu saltem; non mors; dummodo Tritor eris.

---

ELIAS PAULI DOCTOR;  
PLAUDITO, IO! CLARESAVAGE

**P**LAUDITO Doctor, IO! CLARES *virtute coruscus*:  
*Doctrinâ fulges: totus Honore vires.*

PLAU-



PLAUDITO DOCTOR, IÓ! CLARES Junone Favente:  
In Sponsá fulges: totus Amore vires.  
Nec virtus, nec Honos, cata nec Doctrina, Favor nec,  
Nec Sponsa hæc, nec Te deserat alnius Amor.

*Meriti honoris, ac debite obser-*  
*vantia ergò F.*

M. MARTINUS BAMBAMIUS  
P. L. C. & Sch. S. Sen. ConR.

*U*

III.

**S**uada, Themisq; tibi largos concessit honores  
SYNDICE, nunc Sponlum fœmina casta facit.  
Fœmina que formâ, genere, & virtute coruscet,  
Qua studiosa Dei, qua studiosa domus,  
Ipse Deus socij venerabilis autor amoris  
Hanc voluit thalamo jungere, crede, tuo.  
Hinc quoq; præ multis, tu diceris esse beatus,  
Quem tanta voluit sorte Jehova frui.  
His vestris tadis aurum gemmasq; nitentes  
Cum Cyathus, dono, qui potis ære, ferat.  
At ego, cui penitus Fortuna noverca videtur,  
Aurea nequaquam munera ferre queo.  
Ergo pro donis ardentia vota refundo,  
Qua Deus ex altis pondus habere velit.


A 3

Sponsa

*Sponsa suos tecum feliciter exigat annos,  
Sponsa tuis annis gaudia multa ferat.  
Vosmet amor nectat, nexos pax aurea firmet,  
Firmatos multa prole leuova beet.  
Omne cuncta cadant fausto ventura, nec unquam  
Concutiat vestram seua procella ratem.  
Hac precor in mundo vobis lectissima biga;  
Et tandem in caeli sede videre Deum.*

*avtoz d. gratulatur*

M. MARTINUS BOLDUANUS  
Stolp. Pom. S. S. Theol. stud.



IV.

**H** EI Genitor, mortis requie sua membra re-  
linquens,  
Continui gemitus maxima causa fuit!  
Sic semper varius crescit mihi luctus in annis,  
A solis cursu, quò quoq; tendit iter.  
Horrentes noctis nebulæ quò tempore turbant,  
Deploro tali pectore voce patrem:  
Ecquod, dic divine parens, tibi contigit omen?  
Sublatus medio sidera summa tenes.

Ergo

Ergo jacent animi conſtrati turbine multo,  
Fundamen nullum poſſidet ipſa domus.  
Ah quantò melius meme fortuna foveret  
Te vivo! ſed nunc non favet illa mihi.  
Dum queror hæc, ſubitò cæli ſonus advolat au-  
res

Ipſe pater viſus talia verba loqui:  
Quid fili trepidas? vanis deſiſte querelis,  
Securus monitis euge quieſce meis.  
Lætitiæ plenus plaudo ſummotus Olympo:  
Non magis hæc mundi turgida vita placet.  
En alium ducis cæleſti numine patrem,  
Qui Muſis clarijs ſanctus amicus erit:  
Pendenti callens librâ depromere rectum,  
Conſilium novit condere ſponte bonum.  
Illum flagranti ſemper complectere corde,  
Illi concedas jura verenda patris.  
Vix fatus: corpus teneris abſcondidit umbris,  
Non oculis acies cernere membra fuit.  
Præclaris animi Doctor virtutibus aucte,  
Illuſtris ſplendet gloria Paule tua.

Urbi

Urbi tu justum bonitatis lance ministras,  
Sic tua jure domum provida cura reget.  
Ergo locum faustis avibus, precor, accipe patris,  
Cumq; meâ Lætus vivito matre diu.

GEORGIUS SIEDTMAN  
Sponse Filius.

~~~~~

V.

**C**Um nuper liquidas Viadri ad undas  
Ambulans meditarer hos & illos  
(Querens tempora turbulenta) Versus:  
Insolens oritur cacinnum alto  
Tractu in ethereo, & [fidem negatis?]  
Risus inter amabiles, & inter  
Plaudentes Strepitus, superba verba  
Hac miscet Pappius puer superbus:  
[Ista nam Pappium decent puellum]  
Hem quis me Superum, Inferumq; major?  
Et poli atq; soli et salsi vocandus

Jure

Jure sum domitor, quid? immo & Orci.  
Me Rector superum, ferusq; Phobus  
Me Saturnia, quin & ipsa Mater,  
Me Rector Pelagi pavet, stūgigq;  
Et, quos undiq; nutrit alma tellus,  
Mortales faculam meam, measq;  
Sagittas trepidant timente mente.  
Et quæ fortia nuperis diebus  
Io! gesta mihi? columna magnæ  
Stetini, Columenq; Juris illud,  
Doctor PAVLIANES ELIAS (ante  
Is Cupidinea facis superbus  
Contemptor,) dedit, en, manus secundo, &  
Graui carpitur igne Barbarilla, &  
Nuptias iterat, maritus atq;  
Amat dicier, & maritam habere.  
Dixerat Veneris propago, & alta  
Alæ remigio petebat astra.  
Vix concesserat ille: & undiq; omnis  
Musarum Chorus, atq; Gratiarum,  
Cumq; illis aderat Apollo Præses.  
Atq; hac mellifluo sonabat ore:  
SPONSVS innumeros, favente sorte,  
Dies connumeret, pijs JEHOVAH

B

Votis

Denno


*Votis annue, nummeretq; SPONSA  
Noctes innumerat, fauente forte.*

Accinebat

Amplitud. tuæ

Humill. Cliens

CHRISTIANUS NIGRINUS  
Cüstrinò-Marchicus



VI.

**M**Ars is armorum pater ecce fortis  
Concutit mox fatifero phalanges  
Ense dimanet cruor ut per Orbem  
Fluminis instar.

Parca mox rursus, Dea quæ triformis,  
Impiè toti dominatur Orbi,  
Pauperis rumpens subitoq; Cræsi  
Stamina vitæ.

Ecce factis his cupit interesse

Denuò

Denuò dulcis Venus, & Cupido,  
Spîcla qui curvo jaciens ab arcu

Pectora tangit.

Namq; Mars duris dominatur armis;  
Hic adest blandis subitò sagittis:  
Invidæ Parcæ rapiunt; hic autem

Gaudia reddit.

O facis rectè! Manibus cruentis  
Fila rumpebat Dea dira vitæ  
Fœminæ, multos simul in dolores

Sæpè trahebat,

Mox adest ridens iterum Cupido,  
Et brevi pellens hominum dolores  
Corda SPONSORUM volucris sagittæ

Trajicis ictu.

Sic decet: Vestri faculas amoris  
Servet imbellis Venus; & repellat,  
Quod queat SPONSIS lepidis obesse,

Jova supremus.

*Honoris & amicitia ergo fecit*

CHRISTIANUS DREIERUS  
*Sed. Pomer.*

## D. ELIAS PAULI SPONSUS

*per Anagramma*

## PLAUSUS EDAS IN POLIS

**P** Laude sacra Themidos custos fidissime, plaude:  
 Nam datur en fido fida marita tibi.  
 Ne porrò plores sublata funera costa:  
 Nam datur en iterum costa petita tibi  
 Quod tunc abripuit mors, fors nunc reddidit equa.  
 Sic est, sic & erit, donec hic orbis erit.  
 O igitur letos, DOCTOR dignissime, PLAUSUS  
 EDAS, cum lectâ conjugè, cumq; alijs.  
 Tandem cum summi momenta novissima fati  
 Clauseris in CHRISTO, justificante fide;  
 Tum simul INq; POLIS EDAS cum conjugè PLAU-  
 SUS  
 Hoc precor; Hoc optat nostra Thalia. Vale.

Gratulabundus feci

 JUSTUS SAGEBAUM  
 Pomm.

Sic



## Jocus Nuptialis germanicus.

**W**er freyen wil / der freye KRISCH  
 Vnd stelle sich zum Handel risch.  
 Wer aber frisch wil Freyen thun /  
 Der muß dieß Worts Buchstaben  
 han

In guter acht : als denn er kann  
 Sein vnd bleiben ein rechter Mann.

1. Kürs erste muß die Braut Fromb seyn. **K.**

Denn frömmigkeit die Tugend allein /  
 Welch hat verheischung dieser Zeit /  
 Vnd daneben der ewign Krewd.

2. Kürs ander muß sie auch seyn Reich / **R.**

Damit die Frömmigkeit zu gleich  
 Ihr blohnung mit sich bringen mag /  
 Vnd schaffen beiden rühig Tag.

Sehlig der Man / der alhie hat  
 Sein auffenthalt / vnd Gottes Gnad.

3. Kürs dritte sie auch Jung sein muß : **J.**

Damit sie müge ohn verdruß

Verrichten was ihr Mann in eil  
Von ihr begert vnd haben wil.  
Keins dinges ihr verdriessen lest  
Die Jugend / sondern thuts auff's best.  
4. Fürs vierete muß sie auch Schön seyn/ **G.**  
Damit der Mann sein Lust allein  
Vnd Freude an ihr haben mag  
In Gottes fürcht sein lebetag.  
Die Schönheit bringet grosse Freud:  
Sie ist die rechte Augen weid.  
5. Fürs fünffte sol sie auch Keusch seyn/ **C pro R.**  
Vnd sich nicht machen zu gemein/  
Damit sie ja nicht auff sich lad  
Gottes Zorn / vnd des Manns Ungrad.  
Keuschheit ein Weib sehr commendirt,  
Vnd wird von jeder Mann geehrt.  
6. Fürs sechste muß sie seyn Häußlich / **G.**  
Kein vnlust lassn verdriessen sich /  
Damit im Haus müg alles wol  
Zugehn / vnd alle Winckel seyn vol.  
Des Mannes Aug das Pferd ernehret/  
Des Weibs presentz viel schaden wehret.  
Derhalben auch der weiser Mann /  
Ein solch Weib wil verglichen han

Einer

Einer Schnecken / die mit sich führe  
Ihr Häuselein an jedern Orth.  
Mit diesen Qualiteten all  
Weil auch gezieret ist zumahl  
Ewr Braut / Herr Bräutigam: ist gewiß /  
Ihr habet auch gefreyet **K R I S T H.**  
Soet woll euch beyd ein langes Lebn  
Alhie / vnd dort das Ewig gebn.

E N D E.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1773

Zu

H

gen

De

Her

ge



92116 **Bibliotheca 105 000**  
**P.P. Camaldulensium in Bielany**

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



06393

S.VIII.33

